

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2256

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbaye)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1153

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de Hugues, archevêque de Rouen, pour la réforme du prieuré de Saint-Saëns et sa réunion à l'abbaye de Saint-Wandrille.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Chevreux Paul, Vernier Jules-Joseph, *Les archives de Normandie et de la Seine-Inférieure*, état général des fonds, recueil de fac-similés d'écritures du XI^e au XVIII^e siècle accompagnés de transcriptions, Rouen, Lecerf, 1911, planche XII.

Texte établi d'après a

Hugo, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, dilecto filio Rogero Fontanellensi abbatii ejusque successoribus canonice substituendis, imperpetuum. Pontificalis cura nos admonet et devota filiorum nostrorum compellit peticio ut ea, que locis religiosis discreta consideratione contulimus, nostre auctoratis munimine imperpetuum duratura firmemus. Hoc siquidem pia provisione antiquorum patrum consuevit benignitas ut bona ecclesiastica auctorum suorum memoriam viri Dei observantia representent, et contra pravorum hominum infestations ex pontificali attestatione robur et tuitionem obtineant. Ea propter, dilecte in Domino fili Rogere, Fontanellensis cenobii abbas, personam tuam religionis et scientie gratia decoratam paterno affectu amplectimur, et gregem tibi commissum, tanquam devotos filios, diligere et honorare intendimus. Unde bona vestra, que in presentiarum, Deo auctore, possidetis vel infuturum modis rationabilibus poteritis adipisci, sigilli nostri attestatione firmamus et sub nostra et Rothomagensis ecclesie protectione suscipimus. Inter que ea propriis nominibus exprimenda duximus, que nostri pontificatus tempore et nostra largitione propria accipere meruistis. Ecclesiam igitur Beati Sydonii, que a multis retroactis temporibus desolata extiterat et laicali tyramide ex prava consuetudine premebatur, de manu domini ipsius castri ecclesiastica censura extraximus, quam, communicato fratrum et filiorum nostrorum consilio, ad reformatum in ea religionis ecclesiastice statum, tibi, Rogere abbas, et ecclesiæ tue custodiendam, reformatam et jure stabili imperpetuum possidendam concessimus, statuentes ut Beati Sydonii ecclesia cum pertinentiis suis ad sollicititudinem et dispositionem tuam pertineat, salvo in omnibus jure pontificali vel parrochiali. Hec autem, que subnectimus, bona sunt ipsius ecclesiæ, videlicet: decima totius parrochie tam in terris quam in hortis et in molendinis, et decima censum et theloni, et unum molendum proprium et ortus molendini, et gardinum proprium ipsius domini Mathei ex donatione sua monachis in elemosyna concessum, et decima furnorum tam in presentiarum existentium in villa Sancti Sydonii et Osmunvilla quam in posterum faciendorum, et decima vivarii, et decime campartorum et censum in Hers ; in Casneio, totum feodum Restoldi de Druella tam in terris quam in silva cum hospitibus ; apud Rovillam, de feodo Roberti Harenc, decima unius molendini et unus hospes et unus campus ; apud Sanctum Sydonium, terra quam dedit Ricardus Prepositus juxta castellum, et campus

Presoldi ; apud Huhanmaisnil, .Ilo. orti et .IIIlor. acre terre super quarariam, .III. acre in Valle Benedicti, acra terre .Ia. super molendinum presbyterorum, due acre et campus Abeline ; apud Tiliam, unus hospes et decima molendini ; apud Bussoriam, due garbe de feodo domini Sancti Sydonii [et] decima molendini et sedes grantiae ; apud Osmunvillam, .IIº. hospites et campus Olcorum et decima omnium molendinorum et censum et duo alii campi ; apud Bellomontem, due garbe de feodo domini Sancti Sydonii ; apud Sanctum Martinum Album, [due] garbe de eodem feodo ; apud Brichennie, .Vque. solidi de duobus vavassoribus, et de uno eorum servitium equi .I. de feodo Osmundi: apud Novum Boscum, .XV. solidi in ecclesia et cantuaria, et unus hospes ; apud Bonum Maisnil, duodecim solidi in ecclesia et cantuaria, et unus hospes ; apud Sanctum Germanum, in ecclesia .V. solidi et due garbe de feodo domini Sancti Sydonii, et de duobus hospitibus .V. solidi et .VI. capones ; apud Vadum, decima de feodo Augi ; rursus in Casneio, due garbe de feodo Fuelle ; apud Spinetum, due acræ de feodo Guadini ; apud Puteolum, .VI. acre et ibidem .Iie. acre de feodo Hugonis Holardi ; apud Freauvillam, tota decima de feodo domini Sancti Sydonii et decima molendini et unus hospes et sedes gra[nce] ; apud Novam Villam, dimidia ecclesia et dimidia decima et sex solidi in ecclesia ; apud Basleium, dimidia ecclesia et dimidia decima et decima molendini et unus hospes ; apud Eschechevillam, ecclesia cum tota decima et quedam mansura .IIIlor. acraru[m] terre et due alie acre et duo hospites et decima molendini ; rursus apud Huhanmaisnil, tota molta ; et similiter apud Perditam Villam, molta ; ite[m a] pud Sanctum Sydonium, molta territorii ubi vivarium factum est et molta de feodo Gunduini et molta mansionis Guillelmi Rosselli. Preterea, ecclesiam de Greinvilla, quam multo tempore manus laica violenter occupatam tenuerat, et, contra sacrarum institutionum decreta, ab ecclesiastico jure privaverat, nos, eam ad sortem sanctuarii Dei reducentes, tibi, Rogere abbas, et ecclesie tue cum prebendis et terris et omnibus ad eam pertinentibus imperpetuum possidendam concedimus et presentis scripti nostri auctoritate firmamus. Haec et que justa sunt conservantibus sit pax et misericordia a Deo patre nostro et Domino Jhesu nostro, ut et in presenti de fructu pie operationis gaudeant atque in futuro pietatis divine mansuetudinem et gratiam eterne consolationis inveniant. Si quis autem adversus ista que nos, paci posteriorum providentes, legitime firmavimus, aliqua fraude vel malignitate venire attemptaverit, vel attestationis nostre munimentum temerare presumpserit, in presenti traditus angel... [div]ine subjaceat maledictioni et, nisi penitens cito resipuerit atque ad satisfactionis remedium convolaverit, percellat eum in die furoris Domini animadversio eterne ultionis. Actum est hoc anno incarnati Verbi .Mº. Cº. LIIIº., regnante in Frantia illustri rege Ludovico, principante in Normannia nobilissimo duce Henrico. Ego Hugo, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, subscripsi †. Ego Philippus, Baiocensis episcopus, subscripsi †. Ego Arnulfus, Lexoviensis episcopus, subscripsi †. Ego Rotroodus, Ebroicensis episcopus, subscripsi †. Ego Egidius, archidiaconus, subscripsi †. Ego Gaufridus, decanus et archidiaconus, subscripsi †. Ego Osmundus, archidiaconus, subscripsi †. Ego Radulfus, thesaurarius, subscripsi †.